



1. Hafserung s. Joh. Carp. diff. de perfectio
ni Christiana Antiv. Wittenb. 1739.
2. _____ diff. de Bileam, in iurato
re et propheta periodico, Wittenb. 1739
3. _____ diff. de communione sub
utragz. Wittenb. 1739.
4. _____ diff. de locis cur Christus
morte crucis voluerit mori, W. 1739
5. _____ diff. de theologo non tantum
theoretico sed practico, Wittenb. 1738
6. _____ diff. de momento endyponismen
anime fidelis, Wittenb. 1726.
7. _____ diff. de effectibus afflictio
num Christi a Paulo supplendi
ex Coloss. i v. 24. Wittenb. 1720
8. Hayer s. Joh. Georgij s. diff. de proverbiis
proverbio: pror. Kenta. Dukt. sein
Act. VIII v. 5. Lipsia 1738.

20
יְלִיכָה

מֹסֶרֶת מַגְבִּירָה

I. E.

MAACHAM

A REGIA REMOTAM,

1. Reg. XV, 13.

P R A E S I D E

DN. IOANNE CHRISTIANO
HEBENSTREIT,

S.S. THEOL. DOCT. ET LINGVAE SANCTAE
PROFESSORE PVBL. ORDIN.

PRAECEPTORE SVO OBSERVANDO,

IN

AVDITORIO THEOLOGICO PAVLINO

D. XIV. DECEMBR. MDCCXXXIV.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICET

AVCTOR ET RESPONDENS

IOAN. CHRISTIANVS BRVDER
S.S. THEOL. CVLT.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.

V I R O
SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO DOCTISSIMO QVE
D O M I N O
FRIDERICO GUILIELMO
SCHVTZIO
SACRO SANCTARVM LITERARVM DOCT.
CELEBERRIMO AD AEDEM DIVI NICOLAI
ARCHIDIACONO MERITISSIMO

DOMINO FAVTORI ATQVE MAECE-
NATI SVO.

OMNEM
ANIMI CORPORISQUE PROSPERITATEM
PERPETVAM APPRECATVR
SIMVL ET
HAS IPSAS PAGELLAS
OFFERENS
MONIMENTVM
PIETATIS ET OBSEQVII
PONIT

AVCTOR RESPONDENS
IOANNES CHRISTIANVS BRVDER



I. N. J. A.

§. I.



Gredior Bono cum Deo opusculum, a quo fuissent forte, quae praesens me auocare potuissent. Materia enim, quam feligere placuit, eis omnino haud iniuste annumeratur, quae, sicut pleraque ad Historiam antiquissimorum temporum spectantia themata, admordum incerta sunt. Id quod ex eo inter alia patescere potest, quod auctores, qui explicando huic loco operam suam impenderunt, maxime inter se dissident. Quotquot Commentatores inueniuntur, sunt autem perquam multi, cuique sua, quam fouet, placet sententia, pauci sane in omnibus conueniunt, aut conciliari posse videntur. Accedit et hoc, vix ac ne vix quidem noui aliquid dictum iri, quod tamen pro hodierno nouatuerint seculi more ab iis, qui se ad scribendum accingunt, requiritur. Si vero aliquid diceretur, quod nondum dictum fuerat, inuidiosum fore et eruditiois exquisitae viris displicitorum vereri poteram. Quae cum ita sint, obiiciat quis forsitan, cur tale munus in me suscepimus? Respondebit versus primus supra trigesimum Cap-

pitis decimi literarum Paulinarum priorum ad Corinthios missarum. Adeat deinde Superiorum voluntas, quae vult, ut vires studiosae iuuentutis non tantum lectione indecessa augeantur, sed et imprimis disputandi arte exerceantur, seque ad maiora paulatim parent. Obsequuturus proinde nutui eorum, a quibus cum multis aliis pendo, postquam diu multumque cogitaram de eo, quid lecturis perlegendum et disputaturis ventilandum tradicerem, in haec tandem incidi Scripturae S. verba, quae statim sequuntur, vterius expoundeda. Te B. L. si quis eris, de hoc exiguo labore benevolo iudicaturum spero.

§. II.

I. Reg. XV, 13.

TEXTVS HEBRAICVS.

Textus.

וְנִצְתַּב אֶת־מִעֵבָה אֹמוֹ וַיְסַרֵּת מִגְבָּרָה אֲשֶׁר־עָשָׂתָה
קְפָלָתָה לְאַשְׁרָה וַיְכַרֵּת אֶסְאָה אֶת־מִפְלָצָתָה וַיְשַׁרֵּף
בְּנַחַל קָרְרוֹן:

Versio ex Targum Ionathan.

וְאִפְּךָ יְהִי מִעֵבָה אֲפִיהָ אַעֲדָה מִפְּלָצָתָה דְּעַבְּרָתָה טֻוְתָה
לְאַשְׁרָתָה וְכַזְּאָסָה יְהִי טֻוְתָה וְאַזְקִידָה בְּנַחַלָּא רְקָרְרוֹן:

Targumi Latina Versio.

Et quoque Maacham matrem suam removit a regno sive dominio eius, quia fecerat idola in lucis; et excidit Asa idola eius et combussit in valle Kidron.

Versio Graeca LXX Interpr.

*Kai tēn 'Avā (MS. Maachā) tēn μητέρα ἔσυ-
τε μετέσησε τῇ μή εἶναι ἡγεμένην, παθῶς ἐποίη-
σε σύνοδον ἐν τῷ ἀλσεῖ αὐτῆς. Καὶ ἐξέποψεν
Ἄσα τὰς παταδύσεις αὐτῆς, καὶ ἐνέπρησε πυξὶ
ἐν τῷ χειμάρρῳ τῶν Κέδρων.*

Versio

Verfio Vulgat. Lat.

Insuper et Maacham matrem suam amouit,
ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco
eius, quem confecrauerat; subuertitque specum
eius, et confregit simulachrum turpissimum, et
combussit in torrente Cedron.

Verfio Lutheri.

Dazu setzte er auch seine Mutter Maacha ab
vom Amt, das sie dem Miplezeth gemacht hat-
te im Hayne; und Assa rottete aus ihren Mi-
plezeth, und verbrannts im Bach Kidron.

§. III.

Tractationis ordo ita institui posse videtur, ut α de *Ordo*.
subiecto s. persona agente; β . de obiecto personali; γ .
de reali; δ . de actu ipso; ε . de causa impulsiva; ζ . de
loco; η . de laude Asae Regis dicatur. Haec fere erunt,
quae in his paginis nunc viterius persequemur.

§. IV.

Asa est, qui primus dicendus venit. Quisnam fue- *Ortus Asae*.
rit ille, si quaeritur, respondent sacra rerum iudaicarum
monumenta, fuisse Regem in regno Iuda, pietate et re-
bus feliciter pro Ecclesia et Republica gestis maxime con-
spicuum. Patrem habuit Abiam itidem Iudae regem;
mater ipsi fuit Maacha, de qua paulo post quaedam mo-
nendi erit occasio; avus Rehabeam; proavus Salomo;
abavus Davuid. Regnum non quale David et Salomo pos-
sederat, super totum Israël; sed ob peccatum Salomonis,
iusta Dei vindicta diuisum obtinuit. Ex quo tempore,
cum Ieroboamo decem, Rehabeamo duae tantummodo
tribus, Iuda scilicet et Benjamin destinarentur, a) huius
successor deinde post Abiam, reruin potiebatur Asa. In-
cepit regnare anno vicesimo regni Ieroboam, et regnauit
quadraginta annos et unum in Hierusalem. b) Qui de-
lectan-

lestantur omen ex nomine deducere, occasionem ingenii sui exercendi hic inueniunt. Apud Rabbinos Philosophos vocabulum **אָסָה** significat mederi, curare, sanare. Diuino consilio ita euenisce videri posset; quia sanavit Asa populum suum morbis idolatriae, et ciuitatem iudaicam egregiis victoriis confirmauit. c)

a) 1. Reg. XI. et XII. b) 1. Reg. XV, 9. 10. c) 2. Paralip. XIV.

§. V.

Esis more.

Ex dictis, quis fuerit Asa, constat; qualis fuerit, audiamus. Laudatur ab ipso S. Spiritu, quod fecerit, quae placuerunt Domino, sicuti Daud. Nec superfluum aut iniucundum lectori fore iudico, si in honorem ipsius proferam testimonium, quod de eo reliquit Iosephus. d) Ο δὲ τῶν Ἱεροτελέων βασιλέων Ἀσανος ἦν, τὸν τρόπον ἀργος καὶ πρὸς τὸ θέλον αὐθοραν, καὶ μηδὲν μήτε περάτων μήτ' ἐνοσθμενος, ὃ μὴ πρὸς τὴν ἐνστέβειαν εἴχει καὶ τὴν τῶν νομίμων φυσικὴν τὴν αὐθοραν. Κατόρθωσε δὲ τὴν αὐτὴν βασιλεύειν, ἐπικόψας ἐπὶ ποτισμὸν ἦν ἐν αὐτῇ, καὶ καταφεύγας απὸ πάσους κηλίδος etc.

d) Vid. Flauii Iosephi antiquit. Iudaic. L. VIII. C. VI. p. m. 282.

§. VI.

*Maacha,
Asa non
auia,*

Haec de Asa, remotionis subiecto seu causa efficiente. Sequitur obiectum, ut aiunt, personale, quod est **אֲסָה בְּנַת מִיכָּא** Maacha mater Asae. Plerique interpretum e) uno ore profitentur, sine dubio Iudaicos Doctores secuti, f) non matrem hic loci Asae sed auiam potius intelligi debere. Pronocant ad nuptias Rehabeaini, g) ubi afferatur, ipsum duxisse vxorem nomine Maacham, Absalom filiam, ex qua natus sit Abias, qui fuit pater Asae. Quod si Maacha mater potius quam auia Asae fuerit, exinde sequi statuunt, Abiam cum matre congressum fuisse, id quod maximum fuisse scelus, de Abia non suspicendum. Vrgent porro et quasi extra omne dubium positum esse existimant, veram Asae matrem non diu fuisse superstitem; quare puerum apud auiam esse educatum; vnde factum, ut, quae matris operam in nepote curando nauarit, matris quoque nomen potius, quam auiae, pro fide et cura retulerit.

lerit. Quod si factum esse satis certo constaret, ad laudem Asae plurimum faceret, eum intra sinum auiae idolatricae educatum, nihil tamen vitii inde contraxisse, sed Deum verum ingenue coluisse. Kimchium sane ita sentire deprehendo, h) vt, quanquam non affirmet, Asam in domo auiae educatum esse, tamen magno seductionis periculo propter illius superstitionem expositum fuisse, dicat.

e) vid. Auctores, quos Biblia Critica exhibent ad h. l. T. II. Petrus Martyr in Melachim ad h. l. Menochius in Explicatione sensus literalis totius S. Scripturae. f) Vid. R. D. Kimchium h. l. cuius verba haec sunt: **ולא היה אם מונא אביה** **אמם אביו כטו שכתב רמשת ואם אביו קורא** **אורת אביו כמו שכתבו ותבאו אל רשות אביהם** i.e. non erat (Maacha) mater Asae, sed mater Abiam patris eius, iuxta id quod scriptum est supra (sc. commate i. huius capituli). Vocat autem (scriptura) matrem patris eius, etiam matrem ipsius, filio scripturae, vti appareret ex Exod. II, 18 vbi filiae faderdos Midianitici ad Reguelem *patrem suum* rediisse dicuntur, id est, ad aurum, quia pater earum Iethro erat, conf. Num. X, 29. g) 2. Paral. XI, 20. 21. h) Eius haec sunt verba: **וזכר לאסא אם אביו בעבר שורחת עוברת עז'** כמו **שאמר אשר עשה מפלצת ועם כל זוז עשו** **אסא הזכר בעני יי' ולא נתן אהורה** i.e. commemorat (scriptor facer) de Asa referens, matrem patris eius, ideo, quia illa erat idolatriae dedita, iuxta v. 13. et tamen hoc non obstante, fecit Asa, quod rectum erat in oculis Domini, et non inclinabat post illum. Consentit R. L. Ben Gerson h.l. **דרמה שאם אמו גורה אורה זכר והיכם עשו יירבדך אבוי** i.e. videtur, quod mater matris eius (forte scribere voluit) educauerit illum. Commemorat autem hoc, quia, hoc non obstante, non didicerat Asa opera illius, sed faciebat potius, quod fuit rectum in oculis Iehouae, sicut David pater eius.

S. VII.

Veruntamen haec non tanti sunt ponderis, vt assen- *Sed mater.*
sum facile impetrant; imo vero Maacham Asae fuisse ma-
trem haud est dubium, non obstante eodem nomine, quo
appel-

appellatur Abiae, patris eius, genitrix. Sane non appareat, quid prohibeat, quo minus, quo nomine auia dicitur, eo etiam appellari possit mater. Maacha nomen fuit vxori, quam David duxit, quae Absalonem peperit; idem nomen est nepti eius, Absalonis filiae, idem quoque isto tempore pluribus; quid verbat, idem et auiae et matri Asae fuisse? Adde, quod non facile intelligi posset, cur Asae soli obtigerit, ut auiae potius quam matris eius mentio fieret in sacris, cum matres Salomonis, Rehabeami, Abiae, imo quorundam eorum, qui Asae successerunt, expresse nominentur; nisi forte existimemus, etiam eas vel omnes vel ex parte fuisse auias. Non arbitror, fore, quibus in mente veniat. Quamvis vera mater Asae matura morte ipsi fuisset erpta, quod tamen minime necesse est concedi, nec probari potest; non tamen proclive est augurari, cur eam indignam sacer scriptor iudicasset, quae posteritati nota fieret; imprimis cum id in laudem et honorem Regis cedere videatur, si constet, cum ex vtroque parente, natalium splendore illustrem esse. Perquam multi huic sententiae habentur consentientes, iisque viri satis clari. i)

i) Clericus in Comment. Philolog. ad l. 2. Chron. XV, 16. Sebastian Schmid in annot. ad Libr. Reg. Ioh. Franciscus Buddeus in Hist. Eccl. V. T. Tom. II. Per. II. Sect. IV. §. 6. Caspar Sancius e Societate Iesu Theologus in Commentario ad h. l,

§. VIII.

Probatur. Quae cum minime sufficiat dixisse, assertionis argumenta addenda sunt. Primas tenet partes canon in vulgus notus satisque fundatus: Non licere recedere a propria verborum significatione, nisi urgente necessitate. Quae hoc loco adsit necessitas, ut auia in pro matre accipiam, nondum video; nec, qui dissentient, ullum necessitatis momentum satis graue proferunt. Accedit, quod in libris Reguin planis non vsu veniat, matrem pro auia allegari; Multoties quidem matrum regiarum sit mentio, sed semper, ni fallor, hoc vocabulum suum proprium obtinet significatum. Quis igitur hunc solum locum exciperet? eti conceditur, in aliis libris

bris idem ipsum verbum exceptionem pati. Maxime tandem probabile videtur, duas fuisse sorores nomine Maacha vocatas, Absalom filias, alteram, quam Rehabeam, alteramque, quam Abias duxit vxorem, hanc quidem iuniorum. Abias quidem sero rex declaratus fuit post mortem Absalom, potuit tamen prius matrimonium inire, quam regnare coepit. Vbi me non valde moueret exceptio, a prohibito hoc connubiorum gradu Leu. XIX, 13. desumpta. Quid enim reges sibi, etiam contra legem Dei posituam, interdum licere non existimant? Perquam usitatum de cetero fuit nomen Maacha, multis tunc temporis attributum, vti ex Concordantiis patefecit. Sorores itaque has fuisse eiusdem nominis, haec tenus certe, non dubitarem.

§. IX.

Caeterum, cur Regum genealogia etiam facta matrum mentione tam sollicite indicetur, quod alias raro fieri so-*nomen ad-*
let, optime iudicat vir de doctrina Theologica meritissi-*datur.*
mus, Doctor quondam Tubingenis k) ita differens:
Quod nomina matrum regum Iuda fere solent recitari, „
eum alias rarissime mulieres in genealogia recitentur, „
ideo fit, partim ut cognoscatur tota regis prosapia, non tam „
paterna, quam materna, (nam reges plerumque plures „
habebant uxores, si igitur nomen matris non scriberetur, „
materna regis familia ignoraretur;) partim ut mira Dei iudi- „
cia inter parentes et liberos perdiscamus. Saepe enim piam „
matrem impium habuisse legimus filium, saepe inpiam „
pium filium. Interim pia quoque pium, et impia impium „
habuit. Atque hoc ideo praescribitur, ut parentes dif- „
ficiant erudire liberos suos in timore Domini. Quod si „
successerit, habebunt fructum suum; si vero non succe- „
serit, peribunt filii, quia impie egerunt, et saluabitur pater, „
quia vocationi suae inferuit, et pietatem coluit, ut habetur „
in Ezechiele C. 18. „

k) vid. Ioh. Brentii Opp. T. II. ad h. 1.

§. X.

Pergendum est ad rem ipsam, ad Maachae, matris *Etymologia*
regiae נָבְרָה et quid de ea videatur, differendum. *Or-verbi*
B tum

rum debet radici בָּרִעַ inualuit, validus, robustus fuit. A qua deriuatur בָּרִעַ et בָּרִעַ virum notans; בָּרִעַ potens, fortis, ynde נְבִיר herus, dominus, et נְבִיר nostrum, formam quod obtinet foemininam, foeminam, indicans Augustam, siue dominiam, heram, reginam. Quo sensu appellatur Thach-penes Pharaonis coniux הָגִבְרִית Regina. l) Et clarissime patet haec ipsa significatio, ex eo, quod olim regnante Iehu super Israël fratres Ahasiae regis Iudee venirent לְשָׁלוֹם בְּנֵי הַמֶּלֶךְ וּבְנֵי הַגִּבְרִית ad salutandos filios regis et reginae. m) Porro נְבִירah nominatur, s. mater fuerit s. coniux regis Iechaniae. n) Quando enim Iehouah minatur per Ieremiam o) populo Iudaico regni finem et extium, minatur hoc ipsi regi et לְגִבְרִית reginae. p) Hisce locis omnibus נְבִירah nullum alium, quam reginae sensum ferre, manifestum est.

l) 1. Reg. XI, 19. m) 2. Reg. X, 13. n) Ier. XXIX, 2. o) Ier. XIII, 18. p) vid. infra Ies. XLVII, 7. 9. et Guliel. Robertson Thes. Ling. S.

§. XI.

*Nos cultus
idoli intel-
ligitur,*

Sunt interpretum nonnulli, qui a vera et propria huius vocabuli significatione haud parum discedentes, putant, per נְבִירah principatum, officium, modum colendi idolum, quocunque sit, indicari; et hoc modo verba textus interpretantur: Asa matrem suam amavit, ne esset princeps in sacris, ut coniiciunt Priapi, et in litore eius, quem consecraverat. q) Reginam fuisse ipsam, et Augustae in aula dignitatis, non negant, sed praeterea etiam primas tenuisse partes in idolo colendo, et qualis ipsi honor cultusque esset praestandus, instituisse atque iussisse volunt, imposita subditis necessitate obediendi, et eodem modo, quo ipsa Maacha, tanquam sacrorum princeps et antistes fieri vellet, idolum venerandi. Breuibus vt dicam, נְבִירah Maachae pro officio, quod Miphlezeth deberetur, habent, statuentes: Maacham non a regia, sed idololatrica potius auctoritate fuisse remotam, ne amplius valeret imperare idoli cultoribus. Cui opinioni etiam assentitur vir olim in antiquitate versatissimus r) ita dicens: Mater Regis Asa praerat sacris Miphlezethicis, quam

quam ab hoc remouit officio filius. Ipse noster B. Lutherus, vir de ecclesia meritissimus, imo vel ob solam versionem Bibliorum Germanicam immortali laude dignus, sat clare indicavit, se ^{גָבְרִיהָ} de officio idololatrico intellectum voluisse. Interpretatur enim ein Amt, das sie dem Miplezeth gemacht hatte. Quis non facillimo negotio exinde videat, ad cultum idololatricum referri? particula relativa, articuloque Datui id ipsum satis confirmante. Retinuit vir illo tempore hebraice doctissimus, aliquoties latinae versionis, quam tunc in ecclesia inueniebat, sententiam, in locis praecipue obscurioribus, et quae ad fidem non pertinerent; a receptis enim, si meliora nondum habeas, discedere temerarium est. Hodie autem, cum dies diem docuit, ab illo modestissime in quibusdam dissentire, salua tanti viri in caeteris auctoritate, licebit.

q) Vid. Verf. Vulg. r) Ioh. Cunr. Dieter. in Antiq. Bibl. ad h.L.

§. XII.

Vocem igitur ^{גָבְרִיהָ} de regia auctoritate, potestate, maiestate intelligendam esse arbitrarer. Quod enim Maacha Sed Aug.
regina fuerit, quis est, qui neget? Etsi quidem onus ^{fla.}
regnandi et imperandi ciuibus, ipsius humeris non impositum fuit; quod in gente theocratica, ubi regia dignitas penes prosapiam masculinam familiae Davidicae diuino precepto erat, non ferebatur: tamen regia coniux regium quoque filium imo ipsum regem generat. Vnde ipsam post mortem etiam Abiae regia dignitate et honore fuisse affectam, non est, cur dubitemus. Satellitio imprimis regio, palatio, coniunctu, vestitu, procerum comitatu, ut regiam viduam et matrem decebat, conspicuam fuisse, probabile est. Siquidem et hodie reginis post maritorum obitum pristinum honorem seruari videimus; nec aliena fuisse ab hac laudabili consuetudine antiqua tempora, ex eo patet, quod de Darii matre, regina, et ab ipso hoste ac victore Alexandro regio cultu ac titulo ornata, a Curtio relatum legimus, L. III. XII,25. Sebastas seu Augustas Romanorum pluribus commemorare, cum satis confit inter omnes, necesse non est. Quod si nunc in textu dicitur, Maacham re-

motam fuisse מִבְּרוֹרָה, non de officio idoli, sed de dignitate regioque honore ac aula, pompa, conuictu, accipiendum esse autumo, adeo, vt ante omnia Maacham Asa auctoritate, qua apud populum sine dubio pollebat, priuaret, deinde ipsum Miphlezeth exscinderet, igneque plane deleret. Licet quidem mulier mihi non, imperandi cupiditate regni partem ad se rapuisse, regiamque potentiam et auctoritatem sibi vindicasse videatur, neque adeo haec causa fuerit remotionis; sufficit tamen, quod sine dubio regio honore, qui ipsi, vtpote regis coniugi ac parenti conueniebat, ad augendam et confirmandam idololatriam abusa fuerit, quae satis ardua causa Asam mouere potuit, vt hanc dignitatem illi adimeret, ne plebem imposterum seducere posset. Hinc Gersonides causam remota a גְּבִירָה Maachae ait hanc fuisse: כִּי שֶׁלֹּא תַּבִּיא הָם לְעָבוֹר עַזְּזֵבָה i. e. ne adduceret aut contuocaret populum ad idololatriam. Imofere ausim affirmare, illam gratia ac benevolentia filii, consortem dominii, ex parte saltim fuisse, nec fuisse istam גְּבִירָה tantum titulum honoris sine potentia, cum *remota esse* dicatur, quod nihil aliud esse videtur, quam potentiam ipsi fuisse ablata. Augustae itaque priuilegiis ac iuribus, scilicet, regia, regii honoribus, imperandi, si qua fuit, quod non prorsus improbable est, auctoritate, et omnibus, quae reginam possunt ornare, Maacham carere oportuit. Huic meae assertioni viros inuenio doctissimos valdeque celebres consentire. s)

s) Vatablus in Synopsi Critic. Vol. I. p. 532. seqq. Calouius in Bibl. Illustr. T. V. ad h. I. et 2. Chron. XV, 16. Clericus in Comment. Libr. Histor. V. T. et locis antea citatis Sebastian Schmid, Ioh. Franc. Buddeus et Sanctius.

Probatio.

§. XIII.

Neutiquam haec simpliei assertione, aut consensu saltim virorum doctrina conspicuorum, h.e. auctoritatis praediicio nituntur, sed argumentis ut opinor, haud postremis. Per vocabulum גְּבִירָה non idoli officium, sed Augusta et regia dignitas imperii regnique potestas indicatur; quia nullus ex S. codice potest afferri locus, unde prius confirmetur; semper posterior significatio euidentissime obtinet.

Si

Si deriuatiq[ue] גְּבָרִים גְּבָרִים גְּבָרִים גְּבָרִים quae omnia
 e radice גְּבָרִים oriuntur, percurras, illorum omnium ne
 vnicum quidem est, quod vel minimum indicium habeat
 significandi idoli cultum s[ic] officium, multo minus
 haud adeo in fontibus frequens; si tamen occurrit, nullo
 alio sensu legitur, quam Augustae et Reginae. Quatuor
 tantum vicibus, vt e concordantiis videre est, praeter hunc
 et parallelum locum, in sacris legitur, quae loca periodo
 decimae sunt adiecta. Cur igitur hic locus cum parallelo
 2. Chron. XV, 16. solus sit excipiendus, vbi גְּבָרִים sibi con-
 suetam et propriam non obtineat significationem, non vi-
 deo. Porro quod גְּבָרִה inuoluat idoli officium, cui Maacha,
 quasi Antistes praefuerit, dubitandi rationem suppeditat
 fane praegnante, quia foeminas sive baalitico sive aliis
 cultui idololatrico orientalium praefuisse gentium non in-
 uenitur; singitur tantummodo, et praeupponitur reuera
 factum, quod tamen nunquam sufficientibus probari po-
 test argumentis: si etiam prouocetur ad idolatriam gen-
 tilium, vbi forsitan praefides idoli reperiantur foemellae;
 qualis erat Pythia Delphica, vel facrorum Vestalium praef-
 ses; eiusmodi tamen per orientis prouincias primatus,
 quem habuerint in colendo Deo alieno, sequiori sexui
 non iniuste negatur, neque Maachae attribuitur. Et quid
 opus erat remotione a praesulatu, dum totus cultus idolo-
 latricus diruendus erat? quo euerso, ipse praesulatus ne-
 cessario simul ruebat. Si qui ab officio quodam publico
 remouentur, officium manet; remoueri a munere non di-
 cuntur, cum quibus ipsum munus cessat. Tertia causa,
 cur defendamus supra adductam sententiam, haec est: Asa
 prudentissimus rex optimo consilio iudicauit, vires regias
 ante omnia esse debilitandas, auctoritate apud populum esse
 priuandam matrem, tunc eo facilius esse, subuertere et ex-
 tinguere idolum, quod cum plebe sua colebat. Sine du-
 bio plebecula tunc temporis sequuta est praeiudicium au-
 thoritatis, videns autem ipsam reginam postea parum valere,
 nec tam splendido sicut ante, incedere ornata, aequiore
 animo reliquit simulacrum, eoque faciliori opera minori-
 que seditionis metu potuit frangiri, quae non immerito ti-

meri poterat, ob populi inueteratum in Miphlezeth amorem, (apud quem quid vulgo possit supersticio, nemini ignotum est,) si primo statim impetu idolum rex aggressus fuisset. Ut taceam, in fontibus firmissimum contineri argumentum, quod non facile soluent aduersarii; Si enim per גְּבִירָה intelligatur cultus idolatrici praesulatus, annon opus esset particula לִ in nota Datui, hebraeis consueta, quemadmodum in לְאַתְּרָה statim sequentia h.m. remouit eam Asa ab eo officio, quod instituit לְמִפְלֹצָת seu magis emphatice לְמִפְלֹצָת, quis est, qui non affirmet hebreae linguae mediocriter gnarus? Ad ellipsin enim huius literae non temere configiendum erit; imprimis vbi absque illa commodus est sensus. Addo, quod non contemnendum argumentum pro nostra sententia ex accentuatione peti possit. Nam si אֲשֶׁר referretur ad מִפְלֹצָת hoc sensu, remouit Asa matrem a cultu, quem fecerat, וְגְבִירָה neutiquam ab אֲשֶׁר per Sakephikatonum separari possit, vt pote qui iusto maior esset; sed sufficeret Tbhir, tanquam subdistinctius proprius Tiphchae in מִפְלֹצָת positi. At maior ille accentus omnino iubet, vt ita reddamus: remouit eam a גְּבִירָה ideo, quia fecerat Miphlezeth; sensus autem nullus esset: remouit eam a cultu idolatrico eiusque praesulatu, quia fecerat idolum. Ergo satis probatam sententiam meam putarem.

§. XIV.

Actus Re- motionis. Actus ipse, vt paulo curatius inuestigetur, necesse arbitror, וְתִרְחָה legitur in textu, neque hac forma, scilicet deficiente inter duas radicales saepius occurrere, Mafora obseruat, 'id est לִ וְחִסְר addens. Remotis augmentis, quae tum ab initio tum a fine acceſſerunt, et quorum ratio ex ipsis grammaticae principiis nota est, manet futurum Hiphil, cuius praeteritum הַסִּיר est, recedere fecit, abduxit, remouit, radix סָר recedere. Haec vt cuilibet facillima sunt cognitu; ita de significatione eius dispiciendum est. Est autem רִ in hac voce repetitum, siquidem in praecedente particula בְּנֵי possum sufficere videri poterat, non tam index pleonaſtice, secundum D. Kün-

D. Kimchium t) quam potius emphatica locutionis in
sacris haud insitatae. Hoc modo igitur interpretandum:
Et quod attinet Maacham matrem suam, *etiam* hanc remo-
uit etc. Emphasis haec est: Ne miremur, Asam Cinaedos et
idola patrum eiecisse v.12. cum ipsi *etiam* matri non peper-
cerit. Vid. Kimch. l.c. Commodo per *inquam* reddi posset,
hoc sensu: imo *etiam* matrem, illam, *inquam*, remouit; quo
pertinent, quae Glassius allegavit Philol. S. L. I. Tr. I.
Obs. VII. p. 691. Hoc mallem, quam, quod nihil signifi-
cat, sed tantum conuertat, vt frequenter ab initio libro-
rum bibliorum e. g. Ruth I, 1. et alibi, apud laudatum
Glassium l. c. §. 3. p. 685. Rem ipsam, quod attinet, exi-
stunti posset, Asam pius quidem regem, in hac actione,
vbi matrem a regia recedere fecisset, pietati haud leuem
asperuisse maculam, laesisse enim cultum parentibus ex vo-
luntate Dei praestandum. Verum, sicut, auctore Petro u)
Deo magis obediendum, quam hominibus; sic et Deus
magis colendus obseruandusque, quam parentes. Acce-
dit, quod Afa non filius modo, sed et rex erat, quem sum-
mi Iudicis Iehouae mandato x) iterato ita satisfacere o-
portebat, vt in idololatria nemini parceret, ne quidem
amicus, anima sua sibi cariori. Quando ergo quidam y)
actum remotionis ad Neronis modum explicantes, ita com-
paratum fuisse aiunt, vt Afa Maachae excubias militares
abstulerit, quemadmodum matri Nero; idita ferri potest, vt
tamen ingens discriminem vtrinque intercedere, probe te-
netur. Neronem si quis nominat, bellum magis quam
hominem, quid dicam, imperatorem? appellat. Quicun-
que tantum Suetonium euoluit, z) non satis mirari cru-
delitatem, non satis scelera ipsius auersari potest. Ma-
trem dicta factaque sua corridentem inuidia et odio prose-
cetus est; mox et honore omni et potestate priuauit;
contubernio ac palatio expulit; veneno ipsam ter tentauit;
lacunaria parauit; solitilem nauem commentus est; qui-
bus omnibus frustra tentatis, tandem pugione interfici
iussit. Quis tale scelus ab imperatore expectaret? Nihil
eiusmodi de Afa praedicare licet. Maxime subiecta a se
inui-

inuicem differunt, differt etiam remouendi modus; immo et causae mouentes maxime discrepant. Duo si idem fecisse dicuntur, non est idem. Etsi non negatur, Maacham a regia remotam, honoreque ac potestate regia fuisse priuatam, hoc tamen simul non inficias eundum, factum illud esse honestissimo modo, et qui tam pio rege erat dignus. Illustrari posset ex iis, quae in aulis quotidie accidunt, quando viri auctoritate antea conspicui propter varias causas munieribus sine vlla tamen faeuitia aut famae iactura, decedere iubentur.

ט) Quem vide in Biblis Buxtorffianis. Verba eius sunt: כִּי גָמַבְנָה
 וְאֵת חֶסֶד אֲתָּה מִעֲבָדָה אֲפָנָה
 u) Act. V, 29. x) Deut XIII, 6--9.
 XVII, 3-5. y) Calouius, Grotius in Bibl. Crit. locis citatis.
 z) vid. Suetonii in Nerone C. XXXIV.

§. XV.

Causam impulsi vox non notat.

Vt autem de iusta Asiae causa tanto certius constet, quid eum mouerit, vt matrem remoueret? videndum est. Illam textus sifit, et quidem verbis: אשר עשרה מפרצ'ת לאשרה quale singula curatius expendi merentur. De vocalae פָּרָשָׁה significatione obseruandum venit, eam h. l. non esse relativam, et remittentem ad matrem regis Maacham remotam, quale fecerat etc. sed causalem, causae impellentis signum, hoc sensu: quia, eo quod fecerat Miple-zeth. R. D. Kimchi et Raschius olim non male ita explicauerunt. aa) Et prouoco ad locum clarissimum, quanquam in re extra omne dubium posita et hebraearum literarum vel medioiceriter gnaris perspectissima, prouocare nihil opus esse videbatur; prouoco tamen huius sententiae confirmanda gratia ad verba Regis Saul, bb) qui cum a Samuele instinctu diuino grauiissime carperetur, quod Amalekitarum pecoribus pepercisset, avaritia et priuatae utilitatis studio commotus; vt speciem sua malae causae conciliaret, inquiebat: Pecora ab Amalekitis huc sunt translata, אשר חַמֵּל וְעָם nam, quia, quod populus pepercit optimis ouibus. Amoliebatur a se culpam et populo sic volenti, cui refragari sibi non integrum fuisset, tribuit. Aliam verba paulo obscuriora vix commodiorem patiuntur

tur explicationem. Hinc aliquid lucis etiam praesenti loco, quod attinet particulam אשר facile affulget. Repe-tantur, quae supra §. XIII. de accentu Sakephkatono in vo-ce מִפְלַצְתָּה dicta fuerunt.

aa) vid. eos in Bibl. Buxt. h. I. Paraphrasis eius haec est: בְּעֵבֶר שְׁעַתָּה מִפְלַצְתָּה huius vero: כִּי שְׁעַתָּה bb) i. Sam. XV, 15.

§. XVI.

Scilicet remouit rex matrem, quoniam עֲשָׂתָה fecerat *Origo idolum*, de quo statim sequentibus paragraphis plura erunt dicenda. Occurrit equidem vox תְּבֻנָּה in sacris fontibus de primis rerum inuentoribus et auctoribus; vt adeo fecisse dicatur, qui primus rem inuenit et produxit, cc) non autem sequitur, etiam in praesenti eundem significatum obtinere, quasi Maacha fuerit auctor et princeps idoli, quae primum inuenierit; quemadmodum non sequeretur, si ex versibus ambobus praesens pensum antecedentibus concluderes: Ergo Afa auctor pietatis est, et primus fecit, quae placuerunt Domino; Ergo patres ipsius Abiam et Rehabeam auctores sunt omnium idolorum, et nemo praeter eos; nam et ille dicitur fecisse rectum, et isti, fecisse idola. Iamdudum cultus idololatricus altas radices egerat. Prolixo disputat Romanus haud incelebris scriptor, dd) vnde idolorum cultus venerit ad incolas Aegyptiacos; Ortum vero tribuit Cham Noachi filio, progressum commercio cum exteris gentibus habito. Rabbi quidam Judaeus sua aetate clarus ee) originem idololatriae repetit a temporibus Enos „Grauissime inquiens, homines errarunt, et stupore obruti sunt animi sapientum, illius aevi. Etiam ipse Enos inter errantes erat. Hic, autem fuit error eorum; Quandoquidem, inquietabantur Deus creauit stellas ac sphaeras istas ad regendum mundum, easque in sublimi posuit, et honoris participes fecit, illisque ministris vtitur; merito profecto laudemus, eas, atque extollamus, et honorem iis impertiarnur. Atque haec voluntas ipsius Dei benedicti est, vt magnifice-

„mus ac veneremur, quemcunque ille euerit, et honore
 „affecit, perinde ac rex ministros suos honoratos vult, qui
 „honor est ipsius regis. Tum aggressi sunt, pergit, face-
 „re simulacra in templis et sub arboribus, in montium ca-
 „cuminiis et collibus. Iamque totum humanum genas,
 „et mulieres puerique nihil sciebant, praeter imagines e-
 „ligno aut lapide, ac templo lapidea, in queis didicerant
 „a teneris adorare ac colere, et jurare per nomen illa-
 „rum. Atque hoc modo mundus incedebat valuebatur-
 „que, donec natus est columna mundi, Abraham parens
 „noster. „ Vereor, ne haec opinio non omnibus et per
 omnia probetur, siquidem mali illius prima origo vel ex
 ipsius paradisi incolis petenda est. Primos et principes
 idolatriae cultores auctoresque haud iniuste dicendos
 statuo Protoplastos, nam loco cultus veri vero Deo prae-
 standi, colebant serpentem, illi obsequebantur, Iehouae
 voluntati non super omnia obtemperantes, id quod est
 delictum, quo nullum committi potest grauius, aduersus
 cultum vero Deo praestandum. Qua continuata et mag-
 his magisque crescente idolatria, etiam Maacha maiores
 suos, gentem in deserto, sub iudicibus, reges Israël, et non
 nullos ex Iudaicis secuta, illicitum idoli cultum continua-
 uit, quem praestitit Miphlezeth.

cc) Ex multis locis sufficiat Gen. I, 7. dd) Ioh. Baptista Cas-
 lius de profanis et sacris Veteribus Ritibus P. I. C. IV. et VI.
 ee) R. Moses Maimonides de Idolatria C. I. §. I. III. V.

S. XVII.

*Quid sit
 Miphlezeth
 secundum
 Hieronymum.*

Quale Miphlezeth fuerit idolum, variae sunt opinio-
 nes. Ad verbum notat horrorem, tremorem, terrorem,
 descendit enim a γεν, quod est horrere, contremiscere.
 Horrendum idolum itaque quamplurimi vertunt, Rabbi-
 nos ff) sine dubio secuti. Nec admittendum male, hoc enim
 Hebreis visitatissimum erat, ut personis et rebus talia no-
 mina imponerent, quibus natura agendique modus indi-
 caretur sicut et exprimeretur. In conceptu hoc gene-
 raliori consenserunt, ad specialem ubi deueniendum est,

*Quid sit
 Miphlezeth
 secundum
 Hierony-
 mum.*

aut silent, aut incerta proferuntur. Quotquot fere auctores euolas, qui de hoc loco commentarii sunt, Hieronymi sententiam leges. gg) Per Prophetam Hoseam olim querebatur Deus, populum Israëliticum reuersum fuisse a vero Dœo ad Baal Peor, votaque dedisse *turpissimo* huic idolo. Putauit itaque Hieronymus, Baal Peor Priapum posse appellari. Nemini suam opinionem obtrudit, in medio potius relinquere videtur, et tamen haud pauci pro vera et satis fundata accipiunt. Adduxit iam citatus pater hunc, de quo in praesenti disputamus, locum, deque eo idem iudicium fert, quod antea protulimus, scil. Miphlezeth Maachae, posse appellari Priapum. Quo fundamento Hieronymi, et qui ipsum sunt secuti, nitatur assertio, apud eos, qui plus indagando valent, iudicium esto.

ff) Leui Ben Gersonem et D. Kimchium. Illius verba sunt:
 וְקַרְאָה מִפְלֶצֶת לְפִי שְׁחוֹתָא מִבְּרָא פָּרְשָׁת וְצָרוֹת רְבָתָה
 Et appellat illud idolum (scriptura) Miphlezeth,
 quia affert terrores et angustias magnas cultoribus suis. Hic
 vero ita explicat: קַרְאָה מִפְלֶצֶת שְׁחוֹת
 לשֵׁן אִוְמָה וּרְעֵדָה כְּמוֹ פְּלֶצֶת בְּעַתְרָנִי לְפִי שְׁאִיםָתָה
 מְטוֹלָת עַל עֲבוּרִיה וּכְן מְוֹרָח הַטְּמֵעַ וּקְרָאוּ אִימְמִידָה
 חַגְלָילִיָּה כְּמוֹ שָׁאָמָר וּבְאִמְמִידָה וּתְהִלָּלָה
 Explicatio ꝑ Miphlezeth hacc est: Idolum istud vocatur
 Miphlezeth, significatio *terroris et tremoris*, iuxta illud Ies.
 XXI, 4. horror conturbauit me; et hoc quidem ideo, quia
 terror coniicitur (inuidit) in cultores eius, atque ex eadem
 ratione idola quoque אִמְמִידָה appellantur, i. e. *horrores*, se-
 cundum Ierem. L, 38. gg) vid. Hieronymi Opp. T. VI. in
 XII. Proph. Min. ad C. IX. Hof. v. 10. vid. etiam Versio Vulg.
 Lat. ad h. l.

§. XVIII.

Non expectari a me potest, vt multa iam verba faciam de Priapo, de Baal Peor aut de Miphlezeth; obscoena enim sunt et honestis auribus molesta, quaecunque antiquae idolatriae scriptores de his idolis nobis reliquerunt. Satisfecisse meo officio nisi ex omni, ex aliqua tamen parte mihi videor, si ad unum vel alterum, qui

Multi Hieronymi sententiam sequuntur.

praesens nostrum negotium attigit, scriptorem Lectores remittam. Dietericus Celeberrimus antiquitatum Bibliarum Philologus hh) inter alia hunc ipsum locum explicandum sibi sumvit, copiosissime differens, non de Miphlezeth, sed de Priapo, et de Baal Peor, quasi certum et prorsus conjectum esset, haec duo idola eadem fuisse cum Miphlezeth. Quid igitur ad rem? Seldenus ii) omnem suam diligentiam in excutiendis diis alienis adhibuit, et vbi de Miphlezeth illi disputandum est, multos de Priapo sermones facere non dubitauit, eadem nixus hypothesi, quia neminem repertum iri existimauit, qui ausit dubitare, an Miphlezeth sit Priapus. Petrus Martyr kk) haud pauca nobis reliquit ad locum hunc commentatus, lectori perlectu suauia; sed si quid sperat de Miphlezetho, falitur. Nam de Iside et Osiride docet; hoc ergo non pertinent. Sanctius ll) satis sibi disputasse visus est de Maachae idolo, cum Hieronymi sententiam approbavit, eam quidem ob rationem, quia Priapus fuerit custos horrorum, et auiculas terruerit, latronesque specie quadam flagitiosa arcere existimatus fuerit, iudice Horatio; mm) Sed cum haec dicantur, non vero satis probentur, quod salua tantorum virorum auctoritate dixerim, incertus dubiusque ab iis discedit, quisquis ex iis se profecturum sperat. Plura qui scire cupit de Priapo, de Mutini f. Priapi idolo, adeat Casalium, vbi inueniet. nn)

hh) I. ad §. XI. c. ii) de Diis Syris Syntagm. II. C. IV. kk) I. ad §. VI. c. ll) I. ad §. VII. c. mm) L. I. Sat. 8. nn) de Prof. et Antiqu. Romah. ritibus P. II. C. XII. XIII.

§. XIX.

Iuriezi opiniatio profectio. Doctissimus etiam Petrus Iurieus oo) in eo fere totus est, ut defendat Hieronymi opinionem. Citato enim ex Hosea loco, ita fere inquit: „Maacha mater Asae summa facerdos illius Dei Baal Peor f. Priapi fuit. Miphlezeth Maachae et Baal Peor Moabitarum unum erat numerus.“ Si postules causam, unde probari possit, nullam fuisse

fuisse differentiam inter haec, sequentem addit: „Nam ego nullam inuenio probabiliorem coniecturam, quam,, hanc S. Hieronymi, scil. Baal Peorem fuisse Priapum,, quam etiam plerique nostrorum eruditorum sunt am-,, plexi. Nam vox Baal Peor proprie significat Deum,, apertum; iam autem definitio haec est Priapi, quod pin-,, gebatur apertus et nudus.“ Sed pridem existimatum fuit, infirmum esse argumentum, quod ab etymologia de-
sumitur. Si etiam Baal Moabitarum quoad Etymon di-
citur apertus, an prona est consequentia, quod eandem for-
mam habuerit cum Priapo foedissimo illo idolo, nec aliam? Et quid opus est, ut statim ad Miphlezeth applicemus,
cum nullum plane nobis detur vestigium conuenientiae,
ne quidem tale, vnde coniicere tantum liceat, quanto mi-
nus probare, quod idolum Miphlezeth nuda et aperta
forma cultoribus fuerit spectatum. Multo vero a pro-
babilitate longius recedit, quando vir antea laudatus ul-
terius progreditur, et sub Priapo Noachum humani gene-
ris restauratorem latitare contendit, ut Priapus ex eius
mente in occidente idem sit, qui Baal Peor in oriente.
Desiderantur enim adhuc sufficietes ipsius sententiae
probationes.

oo), dans l'Histoire Crit. des Dogm. et des Cult. bon et mauv.
Quatr. Part. Chap. II. et III. p. 551. seqq.

§. XX.

Clarissimus Gerardus Ioh. Vossius pp) de Origine *Vossii suffi-*
ac Progresu Idololatriæ differens, physicam pro more *fragium.*
suo explicationem addidit idolo Miphlezeth. Baal Peor
et Priapum vnum numen fuisse iudicavit, de quibus se-
quentia affirmit: “Colligimus, Baal Peor s. Priapum,,
nihil aliud esse, quam s. naturae, s. coeli, s. solis vim ge-;;
neratricem, coelitus sese diffundentem per vniuersum,,
orbem, maximeque se exerentem, tum in plantis, vn-,,
de et in hortis simulacrum Priapi constitui solet, tum,,
in animalibus, etiam hominiibus, vnde nupturae ad Mu-,,
tinum

tinum Titinum deduci solent, ut a numine generationis „
„ praeside post foedos quosdam ritus, vim et ipsae gene-
„ randi apiscerentur. Tandem paucis interiectis, eadem-
„ que inquit sacra putantur, quibus praeerat Maacha etc.

pp) De Theologia Gentili et Physiologia Christiana L. II. C. VII.
p. 126. seqq.

§. XXI.

*Quid au-
tori vi-
deatur.*

Atque si tandem a me expectatur, vt quid videatur,
profitear, haec, quamquam non tam mea, quam Duuumi-
rorum Doctissorum, Clerici qq; et Buddei rr; est sen-
tentia: scilicet Miphlezeth fuit horrendum simulacrum,
quod omnibus tum cultoribus, tum spectatoribus horro-
rem velut incuteret, licet, quale fuerit, non satis explo-
ratum sit; neque enim una causa potuit esse horroris, quem
incutiebat. Haec expositio e vocis etymologia prono,
quod aiunt, alueo fluit, et Rabbinorum suffragio confir-
matur §. XVI. allegato. Addo tamen, quod, cum pla-
cuerit sapientiae summi Numinis, olim se suo populo ma-
nifestare ignea forma, tonitru, fulgure, ss) hoc obtentu-
rae, vt ipsum timere disceret gens dura, et admonitionum
lenociniis vix expugnabilis; posteritas iudaica illam ter-
ribilem *Θεού* figuris quibusdam postea expressissime
videatur. Nam certum est, tam stupidos non fuisse Iu-
daeos, vt figuram manu factas existimarent Deos, sed sub
iis immortalem Deum coluisse. Sub specie itaque ex
auro conflati vituli honorari Deum voluit gens superstitio-
sa, ideoque *μαρτυρόντες* et *μωραρδέοντες*, tt) tum in deser-
to, uu) tum Ierobeamo auctore xx) post regni diuisionem.
Non adeo pulchrum et suauem fuisse credo vituli seu po-
tius tauri aspectum, forte etiam fulgurum et fulminum; si-
gna fuerunt addita, vt ipse idoli aspectus horrorem et ti-
morem inuiceret animis idololatrarum. Accedit, quod
Miphlezeth cultoribus praeter id, quod de figura eius mo-
do dictum fuit, etiam locus, vbi colebatur, metum religio-
sum incutere poterat. In luco enim, ob arborum densi-
tatem radios solares excludente, et in ipso meridie obscu-
rita-

ritatem crepusculo aut ipsi nocti haud multum dissimilem referente, colebatur. Et quicquid de lucis gentilium, ob lucis defectum sacro alicui horro generando aptis, vulgo traditur, id hoc quoque dici posse existimo.

qq) 1. ad §. XII. c. rr) 1. ad §. VII. c. et T. I. Per II. Sect. I. §.
XXXVI. not. 5. ss) sufficit locus Exod. XXIV, 17. tt) quod
Pauli est de idolorum artificibus iudicium Röm. I, 21.22. uu)
Exod. XXXII, xx) 1. Reg. XII, 28. seqq.

§. XXII.

Supereft, vt paucissimis locus indicetur, vbi cultum fuit *Locus Maachae idolum*. Est ille locus ad colenda idola p[re]cae- *Miphlezeth*
teris maxime aptus, p. ob amoenitatem arborum, quae hi- *desingatus*.
lares reddit hominum animos, p. ob opacitatem, quae fer-
uorem solis nimium haud admittit, simulque incutit quasi
coletum idola mentibus timorem. Dicitur iuxta quos-
dam in hebreao נִשְׁרָה ab נֵשֶׁר incessit, licet enim in
lucus huc et illuc incedere, suavitatemque vndiquaque cap-
pere; aut si manus cum aliis refledere ad נֵשֶׁר, quod
beatitudinem notat, omnino beatitatem quae sruerunt ido-
lolatrae in lucis, vtpote sacris et religiosis locis. Et certe
non prorsus est improbabile, lucum illum fuisse Maachae
proprium ab ipso excitatum, et tanquam hortum, in quo
cum aliis Miphlezeth larem suum coluerit. R. L. Ben
Gerson ait: "וְעַתָּה עֲבֹדָה בְּנֵי רַכְבָּר hanc structuram fe-
cerat in honorem idoli. Erat ergo locus iste arte factus,
(non natura prognatus) in honorem idoli. Verbum
שְׁרָה explicatum dedit antea laudatus Buddeus yy) per
Asthoreth, quod olim fuit idolum a Zidoniis cultum, de
quo legere est 1. Reg. XI, 33. et alibi passim; retineo autem
semel receptam, quod שְׁרָה lucum denotet, significatio-
nem. De ה praefixo tamen in שְׁרָה moneo, illud h.l.
commodissime per cum, explicari posse, hoc sensu, quia
fecerat Miphlezeth una cum luco, i.e. Miphlezeth et si-
mul lucum, in quo coleretur. zz) Quanquam iis, qui
cum B. Lutherio de loco, in quo cultum fuerit Maachae
ido-

idolum, intelligunt, nulla a nobis lis mouetur. Nam praefixum ḥ hanc explicationem ferre, ex Ps. XVI, 10. Hof. VII, 2. et alius a B. Glassio allatis locis apparet. aaa) yy) l. ad §. VII. c. zz) conf. Gen. XLVI, 26. et quae Glassius habet Philol. S. L. IV, Tr. I. Obs. VI. p. 678. aaa) ibid. L. IV. Tr. I. p. 676.

*Excisio
idoli.*

Factum Asae, cum matrem a regia amouit, et quidem neque ex inuidia, vt Nero, neque ex priuata quādā vindicta, aut aliis quibuscunque causis spuriis, sed propter solam idolatriam in Miphlezeth commissam, factum hoc inquam satis esset in se laudabile, et reliquis set posteris exemplum, per omnem modum imitandum. Sed maiorem sāne gloriam sibi promeruit exinde, quod excidit simulacrum, imo et combusit in torrente Kidron. Nihil magnopere est ad haec verba, quod addatur; per se enim satis sunt clara atque perspicua. Deleuit seu excidit idolum, vt neque religionis impiae, neque libidinis nefariae villa manerent in ciuitate vestigia; combusit illud, ne superstitionis ac idololatrae frustula vel puluerem eius simulachri diriperent, et apud se conseruata honore pristino colerent. Deleuit etiam, atque excidit, quod mihi maxime probabile videtur, etiam ipsum lucum, vt omnem memoriam impietatis extingueret, et, si quid fidei Doctoribus Iudeis tribuimus, ne quis ligna luci usui priuato et domestico adhiberet, quod prohibitum fuisse, illi ex Deut. VII, 25. 26. colligunt. Quanquam luci combusti expressa mentio non sit, neutquam tamen ideo excluditur, imo potius includitur, quia totum Miphlezeth cum toto eius cultu excisum et combustum esse ait; כְּהַ au- tem arboribus et sylvis caedendis apprime conuenit et proprie quidem, idolo soli forsitan magis catachrestice. Combussit in torrente, hoc est, ad seu iuxta torrentem Kidron. Hanc interpretationem natura rei poscit; in torrente enim, quis comburat? in tali imprimis, qui nunquam exsiccatus fuit, vti Kidron, semper fordium pro- luuie

lunie ex vrbe confluentium refertus. Nec repugnat significatio praefixi בָּ, quae sicut pro circumstantiarum diueritate varia est et multiplex, ita frequenter etiam requirit, per τὸ iuxta, secundum, prope verti, ut Num. XXVIII, 6. vbi mentio fit כִּי הַעֲשֵׂה בְּחֹר סִינָי עֲרָה sacrificii oblati, non in sed ad vel prope montem Sinai. Conf Exod. IV, 27. Num. XXXIII, 32. Deut. I, 6. etc. Quod si malumus, קָדְמָה hoc loco *vallen*, per quam manabat Kidron, ab eo tamen nomen naquam, quam torrentem ipsum denotare, ut Num. XXVI, 19. Deut. XXI, 4. etc. res tanto magis erit perspicua. Quanquam si Rabbinos audimus, non tam locus combustionis, quam tantummodo dispersionis cinerum, in quos Miphlezeth redactus fuit, indicatur. Scilicet, postquam alibi, forte ipso in loco, vbi colebatur idolum, exustum fuerat, cinis in torrentem Kidron coniiciebatur. bbb) Et haec quidem interpretatio filio sacrarum literarum hebraicarum non est inconueniens, quae frequenter omitunt vocem, e contextu facile supplendam, aut, si mauis, vocabulis vtuntur duplarem significationem in se continentibus. Siquidem ouo ouum non est similius, quam haec duo: Afa combusit idolum Miphlezeth in fluuium Kidron, i.e. combusti, illiusque combusi cineres conieci in fluuium Kidron; et illud Ierem. XL, 7. et occidit illos Ismael in medium putei, i. e. occidit, occisosque conieci in puteum. ccc) Quid torrens sit, neminem fere fugit; vulgo dicitur esse fluuius, non via aqua, sed pluuiis et niuibus montanis collectus, cresens, aestate siccus, hyeme magno impetu fluens. Is, cuius h. l. mentio fit, nomine appellatur Kidron, nunquam tamen siccus, sed sordibus ex vrbe emanantibus semper madens, et est idem ipse, in quem coniectus est Baalis, lucorum, omniumque coeli sideribus imaginum factarum puluis, iussu et voluntate Iosiae regis in Israel. ddd) Est ille torrens, vbi saepius cum discipulis suis conuenit mundi Saluator, imprimis sub ipsa sacrofandae passionis auspiciis, teste Iohanne; eee) maximam, totique orbi exitiosam idolatriam, diaboli, mun-

di et peccati cultum, cui totum genus humanum incumbit, expiaturus et destructurus; cuius diuinizeli typum fuisse Iosiam et Asam; si quis statuat, non sane magnopere erret.

הנה שرف אורת לבי שעז' הרה
 אסורה בחנאה ורזה רשליך עפרה בנחל קדרון שלאיהן
 מצען i. e. Ecce, combusit illam, (Miphlezetham) quia idolum prohibitum erat, in vsum suum conuerte, (quod fieri potuisset, si quis aurum aut argentum, unde conflatum erat, in thesauros suis intulisset) propterea proiecit puluerem eius in flum Kidron, ne quis vsum ex illo caperet. Eadem habet Radackus:
 שرف המפלצת והשליך האפר בנחל קדרון כי ע" אסורה בחנאה Combustis Miphlezeth, et proiecis puluerem in flum Kidron, quia interdictum est, ex idolo commodum aliquod capere. Ex quo simul apparet, quae ratio combustionis, ex mente Iudaicorum Doctorum fuerit. De yili ex abhodha Sara non capiendo, et quatenus capiatur aut non capiatur, multa hinc inde disputantur in Talmude, Tr. Abhodha Sara. Caeterum de idolis combustis a Moze, Afa, Iosia, prolixo describitur in Talmude tr. abhodha Sara c. 3. edit. Francof. p. 44. quae, cui volupe est, videat, ob plagularum enim angustiam addere non licuit. ecc) Vid. plura eiusmodi exempla apud hebraicinorum diligentissimum collectorem B. Glassium Philol. S. L. III. Tr. III. ean. 2. p. 231. ddd) 2. Reg. XXIII, 4. eee) Iob. XVIII.

§. XXIV.

Nihil nunc reliquum est, quam ut, quae haec tenus scripsi, in summam redigam, hoc modo: Rex quondam regni Iudee, Abiae filius, Afa, Vir pius et religiosus, Maacham, matrem potius suam, quam aujam, ab Augustae dignitate, regiaque potestate, qua ad idolatriam fuerat abusa, quemadmodum dignum erat ipso, remouit, nullam aliam ob causam, quam quia, et si non inuenit, continuavit tamen cultum, qui habebatur horrendo idolo, atque inde nomen Miphlezeth nacto, et quidem in luce; idolum ipsum cum luce radicitus extirpauit, igneque deluit ad torrentem, seu in valle, per quam fluebat iste torrens. Fecit hoc, gloriam Dei promoturus, non aut propriae existimationis augendae studio, aut iniuria in matrem concitatus.



NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
DISSERTATIONIS
AVCTORI
S. P. D.
PRAESES.

Magna cum voluptate Tuam,
Iuuenis Ornatisime, de Mac-
cha non amplius Augusta,
meditationem perlegi, nec m-
nus assiduitate Tua in euol-
uendis Auctoribus, quam iu-
dicandi facultate sum dele-
ctatus. Nihil deprehendebam, quod non aut prorsus ve-
re dictum esse, aut admodum prope ad veritatem, quae
non semper in difficultatibus antiquitate ac monumento-
rum defectu laborantibus ita inueniri potest, quin aliqua
oppositi formido adhaereat, accedere videretur. Hinc
Tuo, istam sub meo qualicunque praesidio defendendi, de-
fiderio

fiderio tanto libertius locum dedi, quo minus, quem feli-
citer enixus es, ingenii Tui foetum, masculine a Te contra
dissentientes defensum iri dubito; imprimis cum, quam
strenuum Te mibi, in tuenda prima mea in Malachiam
dissertatione, commilitonem praefliteris, satis adhuc re-
coder. Caeterum, ut omnia, quae in ista Tua lucubra-
tione scripsisti, approbo; ita, quia Tuum laborem inter-
polare, deque meo aliquid infarcire religioni ducebam,
tribus tua pace verbis, quid perlegenti circa §. XVII. vi-
sum fuerit, hic addo, nec Tibi nec Lectoribus alijs, in-
gratum fore sperans. Non placent Tibi, qui Maa-
chae sacra ex priapeia turpitudine illustrant, interpretes;
causam interferenti, quia ista opinio unicum Hierony-
num habeat auctorem, nec illo sit antiquior; quem, qui-
cunque de Mutini detestandis mysteriis aliquid ad Tuum
locum commententur, auctoritatis praeiudicio decepti, se-
quantur. Ego vero Hieronymum plerosque esse secutos,
nolim magnopere negare; primum tamen opinionis aucto-
rem illum esse, quo minus credam, faciunt, quae Raschius
ad locum a Te explicatum, imprimis ad vocem מפלהת com-
memorat: אמרו רבינו מפליא לרצנותא זכר Alle-
gar nempe sententiam Veterum Rabbinorum, de isto idolo;
qua formula vulgo utuntur, cum ad auctoritatem Docto-
rum Talmudicorum prouocant. Ad Talmudem ergo Ra-
febius lectorum remittit; ubi locum dam investigo, illum
P. IV. Nesikins de damnis eiusque Massichtia IX. de Abho-
dha Sara, quam et נ"ע i.e. עכזרת אלילים de cultu
idolorum appellant, cap. III. cuius initium est בְּכָל הַצְלָמִים fol. s. 44. edit. Francof. his conceptum verbis inuenio;
מי מפלצתה אמר ר' יוחנן ויהי מפליא לרצנותא
ברחני ר' יוסוף מכין זכרות עשתה לה וזכתה נבעלת
מפלצתה ר' יוסוף i.e. Quid est τὸ Μιφλέζεθ il-
lius? Inquit R. Iehuda, idem esse, ac mi-
ריסט

rificum risum: *Hoc explanaturus Commentator addit:*
מִפְלֵיא לַרְצָנוֹתָא פֶּה לַרְצָנוֹתָא מַפְלֵיא וּבְכְרָאשִׁית רְכָא
סֻוֹף פְּרָשָׁת תּוֹלוֹת יְצָקָה מֵה אֲתָה מַפְלֵיא בְּיַד כְּלֹוֹמֶר
מַפְלֵיא וְלֹא לְמַה אֲתָה מַלְעִיר גָּדוֹ וְכֵן פִּי בְּעַרוֹן:
לַרְצָנוֹתָא מַפְלֵיא explicandum est, per s. risus admirabilis. Siquidem in Bereschith Rabba, sub finem Parashae Toledoth Iizchak Gen. XXV, 19. seq. vbi interrogatur gatur haec eius interpretatio adiicitur, cur tu me deludis vel irrides? atque ita etiam Lexicon Talmudicum, Aruch dielum, vocem istam reddere, Commentator addit. Possent haec commodissimo sensu, de contentu idoli Maachae, ita accipi, ut Iudei ἐτυμολογεῖτε afferere videantur, irrisione et omni contumeliae genere dignum illud fuisse, nec tam ab ipsa Maacha, quam ab eversore, Asa et aliis piis, ita fuisse appellatum; iuxta illud: כְּלַיְצָנוֹתָא אֲסּוֹרָה בְּרָא omnis irrisio est prohibita, praeter irrisiōnē idolorū: Sed de risu voluptuoso, et impudica oblectatione, ex turpissima venere, quam Maacha ex isto cultu ceperit, interpretatur R. Ioseph; cuius explicatio in loco supra adducto Talmudico a verbis: רְבָבָי יְזָהָרְבָּי קְרָתָנְרָי legat, harum literarum non ignarus; mibi enim verecundiae est, ista eleusinia mysteria latine vertendo pandere. Haec ergo Hieronymus procul dubio, ex suo Iudeo, quo literarum hebraicarum magistro vtebatur, utpote dudum cognita, hauſit, et ad posteros transmisit. Et quid de narratis de speluncis, qua voce οὐ istum cultum exponunt, videtur? annon suspicari licet, eos de impurissimis sacrī cogitasse, quae latebras requirent, et coecam noctem, quaeque sub diuum producere non liceret? Graeci autem isti, quicunque fuerunt, Hieronymo certe erant antiquiores. Porro, cum extirpationem Miphlezeth cum expurgatione τῶν κρύσταλλων, quos Cinaedos

naedos aliqui vertunt, turpissimis amoribus dedicatum ho-
minum genus, tam arcte connectat historiae sacrae condi-
tor; an magnapere carpendus esset, qui exinde de sacra
quadam libidinandi licentia, quae isto corruptissimo aeuo,
tanquam res ad Miphlezethi religionem spectans, obtine-
bat, suspicaretur? Ut raseam, refutatae a Te sententiae
Patronis, nondum plane e manibus excussum videri Ho-
seae locum, c. IX, 10. quo cultus Baaliticus בָּשָׂת turpi-
tudo appellatur; et forte aliquid illis praesidii esset in
duplici Gideonis nomine, Ierubbaal vulgo, sed et Ierub-
bechet 2. Sam. XI, 21. dicti; qui Baal, ille Moabiticus
praecipue, Peor cognominatus, cur etiam Boſeth, id est
impudicitia dicatur, non modo ab hac generali causa
accersendum esse videri posset, quia idololatrae denique
pudore suffundantur, sed peculiarem aliquam rationem
subesse oportere, quis non facile inducatur, ut credat? Ne-
que est, cur quis sacrorum istorum absurditatem et indigni-
tatem obiciat, a qua Iudei, gens sane non adeo vecors et in-
sipida, sine dubio abhoruerint; quid enim Te quaeso, tam
iusulsum, tam ineptum est, quod non coecum imitandi stu-
dium, lubente animo et cum voluprate recipiat foueatque?
Sed de causa ipsa non disporto, de illius antiquitate saltim
Te, aliosque lectores, si qui sunt, quos lateat, humanissime
admonere volui; impraesentiarum autem mitto haec,
et potius, id quod imprimis meum est, Tibi de sin-
gulari eruditio[n]is specimine ex animo gratulor, ut
que ulterius in sacrarum literarum doctrina, quemad-
modum adhuc benedicente Deo a Te factum est, in eccl[esi]a
proficias, ac tandem largam huius Tuae sementis messem
metas, etiam atque etiam precor. Dabam III. Iduum

Decembr. c. 10 locc XXXIV.



00 A 6333

E0-37
Jah. 01

Rath

III

D



מִשְׁכָּה
מוסרָה מַגִּירָה
I. E.
MAACHAM
A REGIA REMOTAM,
1. Reg. XV, 13.
P R A E S I D E
DN. IOANNE CHRISTIANO
HEBENSTREIT,
S.S. THEOL. DOCT. ET LINGVAE SANCTAE
PROFESSORE PVBL. ORDIN.
PRAECEPTORE SVO OBSERVANDO,
IN
AVDITORIO THEOLOGICO PAVLINO
D. XIV. DECEMBR. MDCCXXXIV.
PVBLICO ERVDTORVM EXAMINI
SVBIICET
AVCTOR ET RESPONDENS
IOAN. CHRISTIANVS BRVDER
S.S. THEOL. CVLT.

L I P S I A E
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.